

BENEDICTUS PP. XIV.

AD FUTURAM REI MEMORIAM.

EXPONI Nobis nuper fecit dilectus filius Petrus à Jesu, Frater expressè professus, ac Custos, Commissarius Missionum, & Procurator deputatus Provinciæ Sancti Gregorij in Insulis Philippinis, Ordinis Minorum Sancti Francisci, strictioris Observantiæ nuncupatorum nomine dilectorum etiam filiorum modernorum Ministri Provincialis, & Definitorum, ac totius Provinciæ hujusmodi, quod Provincia præfata à primæva sua erectione conversioni Infidelium, tàm ijsdem, quàm in Regno Sinarum, alijsque adjacentibus Insulis semper intenta fuit, prout de præsenti ad opus hujusmodi incumbere pergit, quemadmodum ei-

dem sancto operi, manus dedit in Japponia, ubi pro Catholicæ Fidei propagatione viginti tres ejusdem Provinciæ alumni Beati videlicet Petrus Baptista, & socij crucibus affixi, martyrium consummarunt, præter plures alios, qui tum in Japponia, tum alibi pro Christi nomine sanguinem fuderunt, quamquam Beatorum, aut Sanctorum albo adhuc conscripti non reperiantur. Ad hæc itaque opera incumbit præfata Provincia ope fratrum, qui mittuntur ex Provincijs strictioris observantiæ in Hispaniarum Regnis consistentium, quorum Missiones, si impediantur, vel ultra solitum differantur gravissimum eidem Provinciæ, & conversioni Infidelium, atque conversorum instructioni, & conservationi præjudicium infertur, deficientibus enim Ministris, Evangelij prædicationem, cathechismum, & Sacramentorum administrationem omittere necesse est: Quod sanè ne contingat, dicta Provincia sexto quoque anno ab antiquo tempore Commissarium mittit in Hispaniam, ut Missionarios congreget, & ad eas remotissimas Regiones conducat, quem Commissarium regularitèr Custodem pariter creat, ut in Generali Capitulo totius Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci de Observantia nuncupatorum suffragium ferat, eam tamen legem eidem Commissario imponit, videlicet, quod intra biennium à suo in Hispaniam adventu Missionarios congregare, & cum eis iter suum spatio duorum annorum præfatorum, sive Capitulum Generale hujusmodi celebretur, sive non celebretur, arripere debeat: Longè enim minoris momenti res est, quod Generale Capitulum prædictum, ad quod tot centena Vocalium concurrunt, absque uno ex duobus Vocalibus, quos mittit Provincia prædicta, vel etiam absque illis duobus, celebretur, quam quod re-

retardentur Miſsionarij, & interim converſio Infidelium, & converſorum profectus detrimentum propter defectum, & inopiam Miniſtrorum patiantur. Id quod cum ſummo dolore dicta Provincia ad præſens experitur, nam Commiſſarius Miſsionum, & ſimul Cuſtos ejuſdem Provinciæ, qui ut Miſsionarios congregaret anno M.DCC.XXXV. in Hiſpaniam pervenerat hiſce Miſsionarijs congregatis, intra biennium in Philippinas Inſulas, ſive celebraretur, ſive non celebraretur Capitulum Generale prædictum, iter arripere debebat, cum Capitulum Generale hujuſmodi, quod juxta Ordinis prædicti, & Apoſtolicas Conſtitutiones celebrari debebat, ad uſque annum M.DCC.XL. minimè celebratum fuiſſet, dictus Commiſſarius, & Cuſtos ſub prætextu intereſſendi Capitulo prædicto, extortis à tunc exiſtente ſuperiore, ſeu Commiſſario Generali contra ſuæ propriæ Provinciæ inſtructiones, & mandata litteris in Hiſpania permanſit, ac permanet de præſenti, & ſexaginta Miſsionarios ſibi à Provincijs dicti Ordinis Hiſpaniarum conceſſos, qui juxta inſtructiones, & mandata hujuſmodi anno M.DCC.XXXVIII. à Philippinas Inſulas pervenire debuiſſent, per totum annum M.DCC.XLI. in Hiſpania permanſerunt, & de præſenti ignoratur an è gadibus ſolverint. Præthereà eadem Provincia graviſsima detrimenta ſentit, & animæ Chriſti Sanguine redemptæ petentes panem doctrinæ amare plangunt, quod ob inopiam Miniſtrorum non ſit, qui frangat. Quoniam autem dictus Petrus, qui ad hanc almam Urbem noſtram ea de cauſa miſſus commoratur, præfatis malis remedium afferre deſiderans, humilitèr ſupplicari fecit, ut in præmiſsis opportunè provide-

re, & ut infrà indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

Nos igitur dictum Petrum specialibus favoribus, & gratijs prosequi volentes, & à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, alijsque Ecclesiasticis sententijs, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fere censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, ut de cætero Commissarij, qui pro tempore à prædicta Provincia ad Hispanias missi fuerint pro congregandis Missionarijs prædictis, ijsdemque conducendis ad eandem Provinciam, intra terminum à Definitorio ejusdem Provinciæ pro tempore assignandum redire, vel iter arripere omninò debeant, ac teneantur, absque eo quod emendicatis prætextibus, in Hispania immorari valeant, neque Superiores Generales inibi existentes occasione Capituli Generalis celebrandi, vel alia quacumque de causa executionem, instructionem, & mandata dictæ Provinciæ eosdem Commissarios, Custodes, Prominiſtros, aut Procuratores quomodolibet concernentia impedire, aut retardare posint & valeant, sed dicti Superiores Generales, potius Commissarios, Custodes, Prominiſtros, aut Procuratores prædictos opportunis juris, & facti remedijs eos cogant, & compellant, ut ea mandata, & instructiones adamussim adimpleant, & adimpleri curent, sub privationis officiorum per eos respectivè obtentorum, ac inhabilitatis ad illa, & alia imposterum obtinenda, ac vocis activæ, & passivæ privationis, & suspensionis à Divi-

vinis, alijsque arbitrio nostro, & Ministri Generalis pro tempore existentis imponendis pœnis, eo ipso absque ulla alia declaratione incurrendis, auctoritate Apostolica tenore præsentium præcipimus, & mandamus.

Prætereà si contingat prædictos Commissarios, sive Procuratores, Custodes, seu Proministros quacumque de causa cogitata, vel non cogitata, voluntaria, vel non voluntaria in Europa post lapsum terminum à Provincia prædicta illis assignandum permanere, etiamsi Capituli Generalis præfati celebratio occurrat, dictos Commissarios, Procuratores, Custodes, seu Proministros uti legitimos Vocales in Capitulo Generali, ut præfertur celebrando, interessendi, & in eo Capitulo à voto, sive suffragio tàm activo, quàm passivo habendo, & ferendo auctoritate, & tenore præfatis excludimus, & privamus, sed ut si, qui Commssarij, Procuratores, Custodes, & Proministri posterius missi fuerint ab eadem Provincia, in Capitulo Generali uti tales, cum voto, & voce prædictis haberi, & recipi debeant, dicta auctoritate volumus, & declaramus. Decernentes easdem præsentes litteras semper firmes, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit plenissimè suffragari, & ab eis respectivè inviolabilitèr observari, sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam causarum Palatij Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales etiam de Latere Legatos, & Sedis Apostolicæ Nuncios sublata est, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi

fa-

facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate sciente̊r, vel ignorante̊r contigerit, attentari. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon Ordinis, & Provinciæ hujusmodi, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegijs quoque indultis, & litteris Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficientèr expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo colore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat, specialitèr, & expressè derogamus cæterisque contrarijs quibuscumque. Volumus autem, quod earumdem præsentium litterarum transumptis, seu exemplis manu alicujus Notarij publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesia dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ præsentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XXI. Maij M.DCC.XLII. Pontificatus nostri Anno secundo. Loco ✠ Sigilli. pro D.Cardinali Passioneo. Cajetanus Amatus. Cunctis ubique sit notum, quod Anno à Nativitate D. N. Jesu-Christi M.DCC.XLII. die vero XXV. Maij, Pontificatus autem Sanctissimi D. N. D. BENEDICTI PP. XIV. Anno secundo. Ego Notarius infrascriptus vidi, & legi quosdam litteras Apostolicas in forma Brevis sub Annulo Piscatoris, more Romanæ Curiæ, expeditas tenoris videlicet.

Su-

Super quibus præſens tranſumptum confeci, & ſubſcripſi,ut perinde valeat,ac ſi litteræ originales oſtenſæ forent ; præſentibus D. D. Nicolao Cloos , & Franciſco Joſimi , teſtibus. Concordat cum originali. Joannes Baptiſta Riganti ; Officialis deputatus. X. Subdatarius. Ita eſt Petrus Dufour ; Notarius Apoſtolicus. Loco ✠ Sigilli.

Retroſcripta Conſtitutio Sanctiſsimi D. N. Papæ Benedicti XIV. fuit regiſtrata in Regeſto magno Procurationis Generalis Diſcalceatorum, & Recollectorum , fol. 87. per me infraſcriptum Pro-Secretarium Curiæ ; in quorum fidem ; &c. Romæ in hoc Conventu S. Paſchalis Baylon , & SS. Quadraginta Martyrum die 2. Junij 1742. Fr. Marcus Antonius Gravois , Diffinitor Generalis Ordinis , & Pro-Secretarius Curiæ Diſcalceatorum , & Recollectorum.

Paſſada por el Real Conſejo de Indias.

Omnibus, et singulis presens transumptum videntibus fidem facio, quod sic se habet ad litteram originale per me visum, et perlectum Gadibus die septima Junij anni 1744.:

In rei veritate.

Josephus à Tazero Gomez
Notius Appcus.